



**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi  
praesertim Ecclesiae accommodatum**

**Frangipani, Ottavio Mirto**

**Coloniae Agrippinae, 1597**

**VD16 F 2269**

Serenissimo Ac Reverendissimo Principi Ferdinando, Archiepiscopatvs  
Coloniensis, Et Praepositvrae Bergtesgadensis Coadivtori Et  
Administratori, Praeposito Argentinensi, Comiti Palatino Rheni, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](#)

# SERENISSIMO AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI FERDINANDO, ARCHIEPL-  
SCOPATVS COLONIENSIS, ET PRAEPOSITVRAE  
BERGTEGADENSIS COADIVTORI ET ADMI-  
NISTRATORI, PRAEPOSITO ARGENTINENSI,  
COMITI PALATINO RHENI, VTRIVSQUE BA-  
VARIAE DVCI, &c. OCTAVIVS FRANGIPANVS  
MIRTHVS, APOSTOLICAE SEDIS PER GER-  
MANIAM INFERIOREM NVNTIVS, ET  
EPISCOPVS TRICARICENSIS, SALV-  
TEM IN DOMINO.

**V**M multa inuitarent me &  
hortarentur, Serenissime & Re-  
uerendissime Princeps, ut in hoc  
longo ac diurno locorum in-  
tervallo, quod multa & graues Legationis  
mea functiones inter nos posuerunt, littera-  
rum commercio praesentem me facerem Sere-  
nißima & Reuerendissima C. V. ac pristi-  
nae consuetudinis suavitatem, qua Colonia feli-  
citer orta & aucta est, ac Ingolstadij magis con-  
firmata, innouarem: tum pricipue impulit  
me ac permouit, qua consecuta est officiorum &  
studiorum similitudo, eademque rerum agen-  
darum prouincia. qua est, attendere gregi Do-  
minico

E P I S T O L A

minico, regere Ecclesiam Dei, dilectumq; Christi populum, quem ab æterno elegit, ac sanguine suo redemit, omni praesidio ac tutela contra malitia omnia defendere ac communire. De quo ut cuiq; membro, pro dignitate ac munere suo, conuenit bene mereri: ita Principes viros in primis decet, nullum diem aut noctem prætermittere, quin de veræ religionis, fidei, ac prisca pietatis honore ( unde cœu à capite, ac fonte quodam cætera omnia bona pendent ac profluunt ) vel collapso instaurando, vel languente excitando aut incolumi confirmingo promouendo & exaltando, sanctam ac intentam cogitationem suscipiant. Quod ut à nobilissima ac Serenissima Domo vestra religiosè semper actū fuit, ac in primis à sanctissimis parentibus vestris, sine ulla intermissione deuotissime præstatur; ita virtus ista ac pia hæc sollicitudo, ingenita esse serenif. ac Reuerend. C. V. & cum ea ab infantia creuisse videtur. Ideoq; secundum Deum rem magnam ac Reipub. Christianæ, præcipueque Ecclesia Colonensi valde desiderat am eos fecisse sentio, qui ad hoc munus serenif. & Reuerend. C. V. cooptauerunt eiq; tam

DEDICATORIA.

tam praeclaram explicande industria, indolis  
ac pietatis suæ occasionem dederunt, & Seren.  
**C. V.** Deo gratissimum in odorem suavitatis  
obtulisse induco sacrificium, cum ad onera &  
labores hosce manus suas extedere ac humeros  
submittere non recusauit. Spem enim non du-  
biā ac pāne iam exploratam omnes concepe-  
runt, Deum Opt. Maximum per Serenis ac  
Reueren. C. V. tanquam gratum sibi & aptum  
instrumentum, quo vti possit pro sapientia  
cordis ac animæ sua, salutem populi operatu-  
rum esse & Coloniensem Ecclesiam, varijs affli-  
ctam & ferè suppressam cladibus, Prafectu-  
ra ista vestra, piaque ac assidua sollicitudine,  
sic præparandam, ut idonea & digna esse possit,  
quæ Dei misericordiam participet, & pristina  
suæ sanctitati & integritati restituatur. Quod  
quānam potissimum præstari ratione possit, a-  
lij aliter sentient. Mihi vero visum semper  
fuit, non tantum istam Coloniensem, sed neque  
aliam quamlibet collapsam Ecclesiam facilitiori  
aut meliori in integrum restitui posse modo,  
quām quo primum condita & adificata est: ni-  
mirum ut prima ac potissima cura de pietate

(\*) 3 sit.

E P I S T O L A

fit, & Domino nostro Iesu Christo auctori &  
capiti suo ita coniungatur & coadunetur, ut o-  
mnem pietatis ac beatitudinis influxum ab eo  
participare queat; hoc autem fieri arbitror non  
posse, nisi in primis ab his qui Christo proximi  
esse debet, hoc est à Clero, & ab illis præcipue qui  
in Clero cœn Duces & Principes cateris præ-  
minent, omne vitium & quidquid Deo disipli-  
cat, ac corpori Christi non congruit, planè remo-  
ueatur: ut à quibus in reliqua sancti huiuscor-  
poris membra plurimum deformitatis & mali-  
iam diu redundauit, quorumq; causa diu mul-  
tūq; afflcta multis modis fuit tota Christi Ec-  
clesia; in his pristinus ille Ecclesiastica disciplina  
vigor resuscitatus & renascens, indidem vir-  
tute harmonia ac mutuae coniunctionis longè  
lateq; ad cætera membra viuaciter defluat, o-  
mnemq; in illa virtutem suā efficaciter exerat.  
Cum enim hi qui in populo Dei eminent, poten-  
ti Spiritus sancti virtute animati ac vegetati,  
ab omni infirmitate sua conualuerint ac salu-  
tari virtutum omnium unguento perfusi, Zelo  
amoris Dei accensifuerint: fieri non potest, quin  
eorū virtus vicina membra corripiat, foneat et  
vegetet, eodemq; amore ac pietate, quo ipsi ac-  
cesserint.

## DEDICATORIA.

censi sunt accendat atq; inflammet. Nimirum ut  
quemadmodū vnguentum illud, quod descendit  
in barbam Aaron, mox peruersit extremā vesti-  
menti eius oram: sic Christi bonus odor, verāq;  
pietas, ubi primos quoq; Christiani populi re-  
ctores, eorumq; cooperatores inuaserit, verāq;  
sanctitatis gustu & fructu immutauerit; mu-  
tatur mox alij omnes horum auctoritate exem-  
pto, doctrina, & vita merito. Cuius quidem rei  
auspicanda, et in actū aliquem ducenda, ut mul-  
ta passim ac undiq; suppet ut adiumenta & pra-  
ficia; sic continuandæ & ad optatum consum-  
mationis & perfectionis finem perducenda, par-  
utinam esset facilitas & expedita ratio. Equi-  
dem ut & hic non calem iudicium meum, facit  
amor ac studium meū quod erga nobilissimam  
istam Ecclesiam & antiqua pietate, ac religio-  
nis sanctimonia olim florentissimam superioris  
verò temporis perturbationibus, & perniciofo-  
rum multu haud mediocriter depresso ac humi-  
liatam, erigendam tuendamq; suscepit.

Quod porrò ipso opere testari clarius para-  
tus eram, nisi suauiter ac ordine cuncta dispo-  
nens Dei prouidentia, aliò curas cogitationesq;  
meas.

E P I S T O L A

meas translatisset. Ad inueterata igitur quævis  
mala perrumpenda & eradicanda, omnemque  
nequitiam ex hominum pectoribus profligan-  
dam, nihil ex munere meo duxi esse valentius,  
quam ex maiorum instituto, ac Sacrosancti  
Concilij Tridentini decreto, ac S. D. N. Clemē-  
tiis optima Ecclesiam iuuandi voluntate, coge-  
re Cleri catū; in assiduum usum reuocare syno-  
dos; inspicere omnium, & maxime hominum  
Ecclesiasticorum mores; disciplinam reuocare  
neglectam, lapsam atq; iacentem erigere, astrin-  
gere solutam; ornatum atque decorem Domus  
Dei tueri, omniq; spe, studio, atq; labore adniti,  
ut qua sapienter, sanctè & utiliter canonum  
Conciliarumq; decretis, ac Patrum statutis &  
definitionibus sancita, prescripta & mandata  
sunt, non tam oratione aut librorum folijs com-  
prehendātur, quam acri, efficaci & perennire  
rum gerendarum studio vere appareant, & af-  
fiduo opere exhibeantur. Quæ mibi, cùm in Ci-  
uitate Coloniensi degebam, non in vatis dum-  
taxat erant, ac intimo summoq; cordis deside-  
rio; sed quoq; in destinata actione, definitoq; cō-  
silio ipsoq; operis procinctu. Flagit abat enim à  
me hoc officium in primis Christi amor ac mei  
mune-

## DEDICATORIA.

muneris & Legationis propria quadam ratio-  
tum ipsa temporis necessitas postulabat : sed &  
Ecclesia istius amplitudo & excellens dignitas,  
eiusdemq; afflictio hanc curā multum augebat.  
Porrò stimulos quoq; addebat mihi, tam diutur  
namea in eadem Ciuitate commoratio ac longa  
consuetudo cum amplissimo Senatu, quem ut  
& subiectum ei populum, ad omnem honestatis  
& Catholicae religionis cultū, valde procluem  
sensi. Sed hac cùm ecce in animo diu suscepta, &  
iam inter manus prope explicata, omittere ilico  
coactus fui, eoq; mea transferre consilia ac cogi-  
tationes, quò S.D.N. volūtas & imperium in-  
uitabat. Non tamen qua & grauiter & studiosè  
conquisita in hunc finem à me remedia erant,  
& qua annorum aliquot usus et obseruatio pe-  
pererat, plane neglecta abiectaue interim fue-  
runt ; sed diu in Aduersarijs habita in tempus  
fructib. suis oportunum seruabantur; non tam  
ut simul effunderentur, quam ut pro re nata  
usui forent. Nūc vero diuersorum amicorum  
rogatu, qui ea in alijs quoq; Legationis nostræ  
provincijs, ad communem utilitatem extare  
desiderabant, ne intercidarent, aut diutius sine

\*\*

fructu

ed ut.

E P I S T O L A

fructu iacerent in unum corpus collecta sunt, et  
ut ederentur, ac in nomine Seren. ac Reuer. C.  
V. coram omnibus apparerent, me passus sum  
exorari. Non enim in hac auocatione nostra à  
diœcesi Coloniensi, de ipsis in lucem edendis diuul-  
gandisquæ sollicitudo aliqua meo sedit animo,  
cùm in hoc genere tam multa pañim suppetant,  
ut nihil ferè desiderari præterea à quoquam  
possit: sed cùm illa ab his, qui eadem diuersis in  
locis viderant & euoluerant, magnopere effla-  
gitarentur; eorum tandem precibus & iudicio,  
magis quam meo acquieui, & hoc voluntatis,  
iudicij ac sollicitudinis meæ in Clerum ac popu-  
lum, totamquæ Ecclesiam Coloniensem testimoni-  
um publicari eò facilius ac lubentius permisi  
quod Serenissima & Reueren. C.V. quæ ijsdem  
curis, ac sollicitudinibus nunc tenetur, & pro-  
indole, auctoritate nouisq; ornamenti suis, ma-  
iori spe suffulta, maiora promittit, nec ingrata  
hac fore intellexeram, nec inutilia arbitrabar.  
Si enim in remedia promptius ac felicius ea pra-  
ceptiones proueniunt, gratiore squé sunt, quæ  
non communem quandam artis rationem se-  
quentes quid fecisse vel omisisse inuerit, uniuers-  
è dumtaxat pronuntiant; sed omnia cōuenien-  
ter ho-

## DEDICATORIA.

ter hominum generibus, temporum ac locorum  
conditionibus, & morborum statui sigillatim  
prescribunt: confido hanc à me conceptam me-  
thodum, ac salubrium decretorū seriem in Ec-  
clesia Colonensi, ceu agroto quodam corpore  
regenda & curanda, non parum emolumenti  
& fructus esse allaturam: eoque illam Serenif.  
Reuer. C. V. fore gratiorem quod ab ipsa rerum  
tractatione ac usu nata, non uniuersè tantum  
agat, sed & singulis membris sigillatim accom-  
modetur. Quod meum factum ac studium Se-  
renif. ac Reuerend. C. V. & qui bonique consulat,  
ac sereno accipiat animo; & hisce decretis, in-  
stitutis, ac consilijs, pro sua auctoritate, iudicio,  
circunspectione ac voluntate utatur, & quan-  
tum ex re erit & commodo Coloniensis Ecclesia,  
eadem pro delectu ac optione sua, in actum du-  
cat; quodq; in Domino bortor & obtestor, ob-  
latam urgeat rei benè gerenda occasionem; in-  
choatis à me operibus insistat: & quod eram fa-  
cturus, nisi ab his auocatus & abstractus, curas  
aliò vertere debuisse; hoc desideratum à me, et  
expetitum à bonis omnibus, planeque necessa-  
rium officium suscipiat, tueatur, atq; perficiat,

\*\*      2      rég;

E P I S T O L A

requie ipsa experietur tantum hinc ornamenti  
atque præsidij accessurum huic prouincia ( in  
qua regenda et sustinenda plurimum potest la-  
bor & animi magnitudo, industria, atque au-  
toritas Serenis ac Reuerend. C. V.) quantum  
ad eam non solum subleuandam, sed etiam ex  
præteritis malis recreandam, postulare vel ipsa  
queat: indeq; & facilior, cum tempore, eius tu-  
tela erit Serenis. & Reuerend. C. V. commenda-  
tam accipienti, quam potuit esse mihi commen-  
danti relictam: licet utrinque ea posset esse bo-  
ne voluntatis cooperatio, ut fructus sit utriq;  
par atque communis, adiuuante Domino no-  
stro Iesu Christo, quem precor ut Seren. & Re-  
uerend. C. V. diutissime in columem seruet, &  
in omnibus bene prosperari faciat. Her-  
bipoli XXVI. Ianuarij anno.

1596.

OCTA.